



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus**

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri  
edita

**Heislinger, Anton**


**Ingolstadij, 1726**

Casus XXXVII. De mediata Religiosorum negotiatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40177**

unica negotiatio in magna vel exigua quantitate fuerit : si in magna, an statim mortalis sit dicenda, prout teste Palao *disp. 4. pa. 13. §. 3. n. 5.* defendunt Molina, Morola, Rebellus, Gutti-

rez, aut venialis duntaxat, quam solam agnoscunt alij superius citati & nostro Judicio verosimilius, ex iisdem superius jactis fundamentis erit decidendum.



## CASUS XXXVII.

*De Mediata Religiosorum Negotiatione.*

**R**eligiosus quidam æconomus depauperato cuidam agricolæ omne frumentum, quo ad conferendos luos agros opus habebat, subministrat, hac tamen cum conditione, ut tertiam partem fructuum, quos tempore messis collecturus esset, sibi concederet.

Q. 1. Utrum hic contractus tanquam vera, & propriè dicta negotiatio sit illicitus?

Q. 2. Num in ratione mutui fuerit licitus?

Q. 3. Num in ratione locationis & conductionis?

## SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

*Utrum Æconomus commiserit Negotiationem Religiosam illicitam?*

1. Negotiatio propriè dicta Religiosa est illicita.

2. Et talis videtur esse præsens contractus.

3. Affe-

- 3. Afferuntur rationes tenentium op-  
positam.
- 4. Non desijt tamen esse negotiatio  
ex eo, quia datum agricola  
frumentum non mansit incorrup-  
tum.
- 5. Eò quòd tamen institui potuerit  
permutatio animo faciendi lucrum.
- 6. Contractus iste non fuit mediata  
negotiatio.
- 7. Imò nulla, si lucrum in sui  
monasterij sustentationem impen-  
dit.
- 8. Aut pecunias ex venditis postea  
fructibus relatas ad emenda mo-  
nasterio necessaria applicavit.
- 9. Neque intendit acquisitos pos-  
tea fructus asservare, usque dum  
carius vendi poterunt.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Num iste contractus in ratione mutui fuerit  
licitus ?

- 10. Contractus iste potuit habere rati-  
onem mutui.
- 11. Quod videtur fuisse illicitum.
- 12. An ob periculum sortis ultra  
hanc nihil exigi possit ?
- 13. Æstimatio periculi prudentum  
iudicio committenda.
- 14. In quo casu aliquid ratione pe-  
riculi ultra sortem.
- 15. Et quantum possit exigi, ex-  
plicatur.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Utrum hic Contractus in ratione conductionis  
subsisterit ?

- 16. Saltem aliqua conductionis est Cle-  
rico in sacris constituto, ac Reli-  
gijs prohibita.
- 17. Licet tamen ipsi eam conduce-  
re agros in sui sustentationem
- per se, aut si eos colonos cole-  
dos.
- 18. Solvitur obiectio contra dict.  
n. 13.

Λααα

19.

19. Spectanda in hoc erit intentio non ficta tantum fuerit, dubitatur.  
 20. Et status Monasterij.  
 21. Utrum vera conductio, & venisse contractus societatis.

## §. I.

## Resolvitur primum Quæsitum.

Nam hic Contractus tanquam vera, & propriè dicta Negotiatio sit illicitus?

**O**Mnem negotiationem propriè dictam extra casum necessitatis, atque indigentiae Clericis atque Religiosis illicitam, & à Sacris Canonibus prohibitam esse, hic supponimus, tanquam certum ac definitum in cap. sequens, cap. Negotiatorum: cap. fornicari 22. dist. 8. cap. fin. de vita & honestate Clericorum. unica itaque restat quæstio, num hic contractus pro tali præse sumpta negotiatione sit habendus?

**P**ro affirmativa opinione facit, quod negotiatio non solum consistat in emptione, & venditione, ita ut si ista non intervenerint, nulla negotiatio institui possit: sed etiam dari possit in solis permutationibus, dum una scilicet res permutatur cum alia ex intentione acquirendi ex hoc contractu aliquod lucrum: cum itaque in præsentis casu grana seminis, seu frumenti rustico data fuerint, ut loco illorum plura grana frumenti suo tempore Cle-

rico, aut Religioso à rustico restituerentur, manifestum esse videtur, permutationem animo faciendi lucrum commissam fuisse: atqui permutatio talis animo lucrandi facta prohibita est Clericis, ac Religiosis: ergo &c.

**E**x opposito, contractum istum non præse dictam negotiationem fuisse inde videtur probari posse, quod ad negotiationem requiratur, ut res permutata empta, maneat integra: sed hoc non datur in nostro casu: ergo. prob. min. frumentum & semina rustico concessa, utique postquam terræ commissa fuerunt, debuerunt immutari, ut fructus speratos proferrent: ergo res permutata non mansit integra, & consequenter neque commissa fuit præse dicta negotiatio. Secundo si etiam ponamus negotiationem in hoc casu intervenisse, fuit illa tamen tantummodo mediata & per alium, agricolam scilicet, exercita, quia hic totam curam co-

lendi & ferendi agrum in se suscepit : cum ergo talis totaliter Laico imposta cura negotiationis exercendæ non dedecet Religiosum , neque hic contractus dedecuit. Conf. iste Religiosus habet se instar illius , qui pecunias dat mercatori , ut iste cum illis mercaturam instituat , quin se huic Religiosus immisceat ; cum hic contentus sit , modo certa pars reportati ex hac mercatura lucri sibi persolvatur.

¶ Dico primò , ex eo præcisè quòd frumentum agricolæ ad conferendum agrum concessum , non manserit immutatum , sed corrupendum necessariò fuerit , ut fructus reddendi Religioso producerentur , relatus contractus non excusatur à negotiatione præse accepta. prob. ut hæc detur , non requiritur , ut res , vel pretium , quod ego do alteri pro alia re , maneat immutata , & ab altero contrahente nec absumatur , nec permuretur , nec corrumpatur ; sed sufficit , ut ego aliam rem mediante emptione , aut permutatione eo animo comparaverim , ut ista in se immutata postmodum venditione , subsequente lucrum mihi afferat : ergo ex eo , quòd frumentum agricolæ concessum non manserit incorruptum , hic contractus non excusatur à negotiatione. prob. ant. si Clericis emit pretio 10. florenorum modium tritici , ut hoc immutatum postea carius ven-

dendo , lucrum reportet , contrahit negotiationem ; licet ille , à quo emerat , pretium perdidit lusu , vel alio quovis modo amiserit : ergo non est necessarium , ut pretium in emptione , aut res in permutatione alteri data maneat immutata apud alterum contrahentem.

Dices : saltem in hoc casu necessariò frumentum à Religioso subministratum debuerat corrumpi , ut ille vi permutationis promissum frumentum postea reciperet : ergo non intercesserat vera negotiatio. R. neg. conf. quia non obstante corruptione ista , à Clerico vel Religioso permutatio potuit fuisse instituta animo faciendi lucrum , rem permutatione acquisitam , & immutatam carius postea vendendo.

Dico secundò : neque benedicitur , hunc contractum , posito quòd fuerit negotiatio , fuisse duntaxat mediam , indirectam , & ab agricola colente suum agrum instituendam negotiationem. Prob. ipsa actualis hæc permutatio à Religioso ex una , & ab agricola ex altera parte inita , jam erat actualis negotiatio , si fuerat facta à Clerico animo acceptum reciproce frumentum , in se immutatum postea carius vendendi , & lucri faciendi causâ : ergo negotiatio non erat facienda labore , ac industria ipsius solius agricolæ.

Hoc quidem est verum , solum agricolam debuisse suam operam

impendere, ut produceretur frumentum, quod postmodum æonomo Religioso erat ex contractu permutationis dandum.

Confirm. tunc datur negotiatio per aliam personam, quando Clericus alteri Laico exponit pecuniam, & hic solus opponit suam industriam, ex qua dein lucrum Religioso, vel Clerico accrescat: atqui hoc non factum in nostro casu ponitur: ergo.

Dices: agricola solus laborem suum impendit, ut cresceret frumentum, quod postea ut lucrum quoddam Clerico persolutum fuerat: ergo adhuc erat mediata negotiatio. *n.* neg. conf. negotiatio enim mediata tunc datur, quando Laicus pecunijs, vel rebus à Religioso acceptis exercet mercaturam, & lucrum ex hac reportatum cum Religioso dividit, & huic totum quantum relinquit; in præsentem autem casu agricola accepto frumento non ulius fuit ad exercendam mercaturam, sed ad conferendos suos agros. Ex quo etiam patet falsum esse, quod in confirmatione adiectum fuerat; agricolam scilicet se habere ad modum mercatoris, qui pecuniam à Clerico, vel Religioso æonomo acceptam expendendo, suam industriam ut lucrum cum Clerico postea dividendum acquiratur, impendit; ipsa enim cultura agri non est quædam emptio, aut alius quidam contractus, vel negotiatio, quæ cum frumento Religio-

inituta lucrum quoddam attulit. Quod si ipse agricola acceptum à Clerico frumentum vendidisset, aut jure alio meliore permutasset, & hoc modo lucrum cum Clerico dividendum retulisset, tunc foret paritas. Breviter, ut Clericus mediata negotietur, est necessarium, ut altera persona nomine, vel cum re, Clerici aut Religiosi negotietur, hoc est, contractum celebret, & lucretur, quod in hoc casu non contigit.

Dico tertio: licet æonomus iste intenderit lucrum, cum pro minore quantitate frumenti expectit majorem ab agricola suo tempore persolvendam; si tamen hoc postea accipiendum frumentum non intendit alijs vendere, & lucrum ex illo acquirere, sed ad sui, vel familiæ suæ sustentationem applicare decreverat, probabilius nullum celebravit negotiationis contractum. Prob. ad hunc requiritur, ut emptio, aut permutatio fiat animo rem taliter acquisitam, postea etiam immutatam carius ob lucrum vendendi: ergo, si iste animus defuit, nulla propriè dicta negotiatio interveniat. Ita sentiunt Fagnanus *in cap. multa 1. ne Clerici vel Monachi*: Gonzalez *in cap. 6. eodem n. 6.* Pignatell. Emanuel Correa, Reiffenstuel *tit. de vita, & honest. n. 131.* Schmalzgrueber *tit. Ne Clerici vel Monachi.*

Dico quarto: licet æonomus noster hoc suo contractu intenderit,

rit, aq̄isitum postea ab agricola frumentum, ac tertiam partem fructuum pretio tunc currente vendere, nullam tamen videtur negotiationem hoc contractu celebrasse, si pecunias hac venditione comparatas in emptionem rerum ad sustentationem monasterio necessariorum applicaverit. Prob. hac ratione videtur munus prudentis, atque solliciti æconomi exercuisse, nullum lucrum, sed sublevationem sui monasterij in rebus necessarijs intendens.

Confirm. ut negotiatio propria detur, necessarium primò est, ut hujusmodi res ematur, & vel immutata, vel mutata vendatur. Secundò: ut ematur gratiâ lucri, seu quæstus ex eo carius vendita obtinendi: atqui ponitur nullum lucrum fuisse intentum: ergo &c.

9 Dico quintò: si tamen æconomus fructus ex prædijs agricolæ collectos asservare intenderit in

tempus, quo præviderat majore pretio frumentum vendendum esse, videtur negotiationem expressè dictam exercuisse. Prob. negotiatio est commutatio ad lucrum comparandum, cum scilicet emimus, aut alio permutationis genere rem quandam acquirimus, ut istam immutatam carius vendamus, aut alia quadam ratione cum lucro permute- mus: atqui hoc fit, si hac sua conventionem acquisitos intendit asservare in tempus, quo carius frumentum distrahatur. Ejusmodi autem negotiationem lucrativam Religiosis, atque Clericis esse illicitam habetur in *Can. consequens: 2. Can. Negotiatorem: 9. Can. fornicari: 10. dist. 88. c. fin. de vita & honest. Cleric.* Intelligendi autem hi textus sunt loqui de casibus, in quibus nulla extrema necessitas, quæ legem non admittit, ad similes actus compellat Clericos, aus Religiosos.

### §. II.

#### Resolvitur secundum Quæsitum.

*Num iste Contractus in ratione mutui fuerit licitus?*

10 **M**utuum definitur à Busenbaum, quodd sit contractus, quo rei alicujus, numero, pondere, vel mensura, constantis dominium à mutuante in mutuatum transfertur cum obligatione

restituendi eandem, vel similem specie, ac bonitate. Eiusmodi contractum hic fuisse celebratum, vel saltem potuisse celebrari, nemini videtur dubium; frumenti enim pro agro conferendo sup-

Aaaa 3

pedi-

reditati dominium à Religioso æonomo in agricolam transferri potuit, vel etiam actu translatum fuit, & quidem cum obligatione, ut aliud simile suo, messis scilicet tempore, redderetur mutuanti.

¶ Quia autem æonomus ab agricola petiverat, ut sibi tertiam partem collectæ suo tempore messis restitueret pro frumento, ad conferendos agros agricolæ mutuo dato; hæc autem tertia pars videtur frumentum mutuo datum excedere, consequenter aliquod lucrum ex hoc mutuo mutuatori accedit; ideo num hoc lucrum licitè expetere, atque recipere mutuator æonomus poterit, modo examinabimus. Certum etenim, & omnibus indubitatum est, omne lucrum ex mutuo, id est omne pretio æstimabile, quod ultra sortem mutuo datam, recipitur tanquam debitum, præcisè vi mutui, esse illicitum, & usurarium.

Videndum itaque, num ex alio quodam, quàm ipsius præcisè mutui titulo iustè, plus aliquid mutuo dato exigi, atque recipi poterit. Communis tres tituli excusantes ab usura assignantur ab authoribus, lucrum cessans, damnum emergens, quod ratione mutui dati mutuans patitur; & periculum fortis, quando mutuans rationabiliter, & prudenter timet, ne fors seu capitale, aut frumentum in hoc casu agricolæ datum, ab hoc impotente ob inopiam ad

solvendum in æquivalenti, aut in individuo, sibi non ampliùs restituitur.

Illustrissimus Dominus de Araxo in suis decisionibus moralibus de statu Civili disp. 1. quest. 1. n. 12. defendit, ob periculum etiam extraordinarium fortis amittendæ nihil exigi ultra sortem posse: citat pro se Conradum quest. 59. de contract. Sotum lib. 6. q. 4. art. 1. de Just. rationes affert sequentes. Vel periculum, cui, e. g. in hoc casu frumentum suum exposuerat, mutuum erat fictum? aut verum; quia agricola verè fuit pauper, fraudulentus, vel malefidus? si fictum; non fuit pretio æstimabile, cum, quod non est, non debeat æstimari: si verum, tunc mutuator, qui prævidet hoc periculum, & tamen dat mutuum frumentum voluntariè, hoc periculum eligit, & minimè invitus hoc subit: ergo non potest ratione huius aliquid exigere, & hoc periculum vendere: sed respondetur, hanc rationem retorqueri posse in casu, quo ex mutuo dato prævidetur damnum ex tali mutuacione mutuanti eveniens; nam etiam istud hæc ratione est voluntarium, & consequenter nihil pro illo exigi poterit, aut si, isto non obstante, tamen exigi quidpiam ultra sortem potest, quia hoc damnum mutuo non est intrinsicum; & mutuans non tenetur in gratiam mutuatarij pati damnum; etiam non



non obstante voluntario mutuantis in hoc periculum extraordinarium consensu, ob istud poterit aliquid ultra sortem exigi, eò quòd in gratiam mutuatarij, etiam nemo teneatur suæ rei periculum subire, & hoc periculum non sit mutuo intrinsicum. Dices: hoc periculum averti potest, si cautio pro hoc periculo accipiatur, fidejussor, aut affecurator constituantur. *v.* si mutuatarius cautionem præstet, fidejussorem, aut affecuratorem constituat, non posse eundem obligari, ut ipsum mutuantem determinatè in fidejussorem, aut affecuratorem pro certo pretio ultra sortem persolvendo accipiat. Ratio est, quòd hoc modo daretur mutuum cum obligatione pacto, atque onere, ut ipse mutuatarius mutuantem accipiat in fidejussorem, quod onus, cum sit pretio æstimabile, non poterit ultra datam sortem quidpiam à mutuatore exigi sine labe usura.

Dicimus itaque, tunc solum ob periculum verum, & extraordinarium sortis ultra hanc posse aliquid exigi, quando mutuatarius nullam aliam cautionem præstare. nullum alium fidejussorem, aut affecuratorem constituere potest, aut si etiam hæc posset, mutuatarius sponte velit sibi eam sortem affecurari à mutuante, & quidem eo, non autem majore pretio, quo ab altero tertio ea affecuratio fieret.

Cum igitur taliter à mutuante in se recepta affecuratio, aut fidejussio pro periclitante sorte, mutuo non sit intrinsicæ, pretio autem æstimabilis; poterit pro illo aliquid exigi non pro ipso mutuo, eò quòd ab isto separari possit, per se non connexi. Nec aliquis negare poterit, talem à mutuante in se receptam affecurationem sortis esse pretio æstimabilem: si enim alius tertius fidejussisset, aut affecurasset periclitantem sortem, iste potuisset licitè proportionatum huic oneri pretium exigere: ergo etiam poterit mutuator, vices fidejussoris, aut affecuratoris ad instantiam mutuatarij agens. Id totum videtur etiam sentire *D. Thomas opusculo 73. de usura cap. 10.* quæ omnia à *Platelio part. 3. num. 637.* Confirmantur autoritate Congregationis de propaganda fide, & Innocentij X. approbantis ejus responsa ad quæstia Missionariorum Chinesium data.

Ulterius pro se Prælaudatus Doctor. de Arrauxo ita argumentatur: in nostris principijs conditio individualis mutuantis, sive vendentis ad creditum esset legitima causa augendi pretium; si scilicet esset homo ex sua individuali conditione magis timidus & meticolosus: hoc est absurdum: ergo &c. *v.* neg. sequel. Ratio est, quòd decisio talis periculi non sit determinanda cujuscunque mutuantis.

tuant

tuantis solius iudicio sed prudenti, & communi aliorum.

14. Conformiter hucusque jactis fundamentis ad casum nostrum respondemus; si agricola alium fidejussorem, aut assurectorem, qui periculum fortis peritura in se volebat recipere, habuit, aut nullum omnino extraordinarium periculum adfuit, non potuit agricola invitus cogi, ut, si vellet accipere mutuum, ad reddendam tertiam partem fructuum se obligaret; cum enim hoc onus grave sit, nec ullus alius extrinsecus, nisi accepti mutui titulus adfuerit, præcisè ex mutuo, ac ratione mutui aliquid ultra sortem expetitum fuerat.

Quòd si autem ipse agricola se sponte obtulerit ad tertiam partem fructuum æconomò relinquentem; aut iste agricolæ libertatem reliquerit, ut vel aliâ viâ assurectationem mutuandæ fortis sibi faceret; vel hanc conditionem iniret; & consensus agricolæ secutus fuerit; nulla usura iudicio nostro commissâ erat.

Prob. concl. ex cap. Naviganti: vel eunt: 19. de usuris: ibi, ille quoque, qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur, quæ licet tunc plus valeant, utrum plus vel minus solutionis tempore fuerint valiturae, verosimiliter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari. ex hoc inferimus: ergo etiam ille non erit reputandus

usurarius, qui dat frumentum loco pecuniarum, & cum hoc comparat aliam in se quidem determinatam, sed an simpliciter, & quanta hæc futura sit, dubiam quantitatem frumenti suo tempore recipiendam; eò quòd etiam, uti diximus, an, & quantam mensuram sit accepturus, sit oppidò dubium: imò se exponat periculo amittendi totam sortem, est itaque periculum ex utraque parte æquale; cum enim fructus terræ multis incommodis tempestatum, grandinis, atque injurijs temporum sint expositi: si accedente tali infortunio, nulli, vel etiam mali fructus collecti fuissent, mutuans pro suo frumento agricolæ mutuato nihil reciperet: ergo, cum istud periculum sit pretio æstimabile, pro assurectatione fortis aliquid exigi, ac recipi potuit ultra sortem.

Confirm. Pyrhing. lib. 5. tit. 19. n. 49. cum Navarro Laym. affirmat, usuram nequaquam ab illo committendam, qui mercatori mare navigaturo mutuet centum, cum pacto, ut, si navis pereat, nihil reddatur à mercatore, si autem salva redierit, reddantur 125, ergo cum etiam in nostro casu non absimile periculum amittendi sortem habitum fuerit, ultra sortem datam aliquid exigi potuit.

Licet autem ob periculum amittendæ fortis, & ipsorum etiam non recipiendorum fructuum aliquid

quid ultra sortem potuerit exigi, oppidò tamen incertum est, utrum excessus æstimationem hujus periculi nou multùm superaverit.

Huic difficultati, ut satisfiat, juxta Authores recurrendum erit ad judicium prudentum, qui habita ratione qualitatis periculi, hujus probabilitatis, servata insuper proportione inter periculum, & id, quod pro hoc accipitur, decernant, num tertia pars fructuum adeo incertorum, tum quoad bonitatem, multitudinem, tum etiam quoad omnimodam sui futuritionem adæquet æstimationem periculi, quod mutuans circa amissionem suæ sortis incurrit. Ne autem, & hi ipsi prudentes cæco quodam modo quidpiam in hoc decernant, Lessius in *Auctario v. mutuum Casu 3.* Steph. tom. 4. disp. 9. n. 104. hanc regulam eisdem proponunt, ut scilicet ipsi tanquam viri probitate, ac prudentia præditi cogitent, quanti ipsi tale periculum, vel timorem

redimerent, & quantum bona fide dare vellent illi, qui illud periculum pro se subiret.

Unum adhuc addimus, cum plures dentur adhuc alij tituli exigendi aliquid ultra sortem, qualis est lucrum cessans, damnus emergens &c. videndum esse, an non etiam ex istis plus quidpiam exigi jure merito mutuator æconomus potuerit.

Dices in cit. à nobis cap. *Naviganti* fit sola mentio de emptione: ergo cum in casu præsentis nulla intercesserit emptio, non potest illud nobis favere, *ny.* ibidem quæstionem moveri de usura; cum ergo hæc in solo mutuo propriè committatur, de hoc erat ibidem sermo. Secundò, permutatio coincidit cum emptione: ergo, quæ in emptione licent, etiam licebunt in permutatione: nam vi *legis illud ff. ad legem Aquilianam* ubi par est ratio, etiam idem jus debet esse.

### §. III.

#### Resolvitur tertium Quæsitum.

*Utrum hic Contractus in ratione conductionis substituerit?*

**A**lia species contractûs, quæ in hac conventionem celebrari potuit, vel etiam celebrata fuit, est locatio, qua quis personam vel rem aliquam mobilem, vel immobilem alteri ad tempus utendam, vel fruendam concedit, certo pretio aut mercede, seu

Bbb

pen-

pensione constituta. potuisset itaque agricola Religioso æconomio suum agrum ad tempus unius anni utendum, & fruendum concedere, insuper se ad illum colendum nomine conductoris obtulisse, in mercedem autem tum locati agri, tum sui in colendo isto adhibiti laboris expetiisse duas tertias partes fructuum suo tempore colligendorum; dubium itaque, quod modò decidere aggredimur, movetur, num omnis, vel qualis demum conductio alienæ rei Clericis ac Religiosis sit prohibita.

16 Dico primò aliqua saltem conductio Clericis in Sacris & Religiosis interdicitur. Ita Molina *disp. 342. Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 1. n. 6. Palao de voto Relig. obed. disp. 4. pu. 19. §. 3. n. 4. & alij. Conclus. prob. ex can. 1. causa 21. q. 3. ibi decrevit igitur sancta & magna Synodus, neminem deinceps eorum, hoc est, non Episcopum sive Clericum aut Monachum conducere possessiones, aut misceri secularibus procurationibus, item in eadem causa 21. q. 3. can. 3. ita habetur placuit, ut Episcopi, presbyteri, & Diaconi, vel Clerici non sint conductores. neque procuratores &c. Rationem Sacri Canonis hujus suæ definitionis afferunt: quia nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.*

17 Dico secundo, his allatis Canonibus nequaquam prohibitum esse Clericis aut Religiosis condu-

cere agros alienos, ut hos per se, suosque colonos colant in sui sustentationem, ita teste Palao *n. 4. cit.* Doctores omnes. prob. illa duntaxat conductio Clericis est prohibita, quæ supponit emptionem eo fine conductionis factam, aut quæ spectat venditionem subsequentem, seu cum quid conducitur, ut fructus inde percepti postmodum vendendo alijs, lucrum aliquod referatur: ergo licitum istis personis erit, conducere agros, ut perceptos ex his fructus ad sui & suorum sustentationem applicent, prob. ant. in *cit. can. 1.* afferuntur pro exemplo illæ duntaxat conductiones, & procurationes quæ circa res alienas, & non suam personam concernentes obeuntur. item *can. 3.* pro ratione prohibitionis affertur, quòd non deceat, ut militans Deo implicet se negotijs secularibus: atqui intendens duntaxat sui, & suorum sustentationem, non implicat se negotijs secularibus: ergo &c. sicut autem hac intentione conducere prædia, Clericis, atque Religiosis non est illicitum, ita eisdem prohibitum est conducere ejusmodi prædia animo non se aut suos sustentandi sed lucri causâ; ut scilicet inde collecti fructus vendantur, & lucrum afferant. Ita præter citatos in *concl. 1. Abbas in cap. secundum 6. Ne Clerici vel Monachi: Fagnan. in cap. multa eadem Rubrica: Barbosa ibidem n. 4. Gonzalez, Diana, Pel-*  
liza-

fizarius; Wiestner citati apud & cum Schmalzgrueber n. 18. Ne Clerici vel Monachi.

Ratio est: quod licet ejusmodi actus non sint propriè dictæ negotiationes, ad has tamen proximè accedant: rationes etiam & difficultates, ob quas negotiatio propriè talis fuit prohibita, ex parte etiam talium conductionum animo faciendi lucrum institutarum reperiantur.

Ob. contra 1. conclus. Clerici atque Religiosi possunt lapides, vel metalla ex suis fundis cedere, vel eruere, atque etiam immutata vendere: item gregem in suis prædijs alere, ut ex fætu, lacte, lana pecuniam conficiant, aut ut ipsa animalia adulta & saginata vendant: ergo etiam conducere agros, ut fructus ex illis perceptos postmodum vendentes, pecunias colligant. **¶** Ad primum, lapides atque metalla ex fundis proprijs eruta spectare ad Dominum fundi: cum ergo cui-libet liceat suas res superfluas alijs distrahere, etiam hæc à Religiosis aut Clericis poterunt sæcularibus vendi; si superflua illis fuerint. **¶** Ad secundum, etiam omnibus licere fructus superfluos suorum agrorum, vel ex redditibus proprij beneficij, vel undecunque demum habitos pretio justo, atque currente vendere: cum ergo animalia saginata ex fructibus agrorum sint fructus quidam in æquivalenti ad Clericos vel Religio-

fos spectantes, hinc poterunt talia animalia saginata vendi, idem dicendum est de fætu, lacte, atque lana, quæ omnia cum ex absumptis proprijs fructibus proveniant, ut fructus agrorum & prædiorum, vendi, si sint superflua, poterunt. Hæc enim & similia alia, cum ad æconomicam gubernationem spectent, quæ in Clericis, atque Religiosis procuratoribus elucere debet, ideo eisdem concessa fuisse, non immeritò asseritur.

Ut itaque ad resolutionem particularis nostri casus progrediamur, intentio conducentis ante omnia exploranda erit, quo animo hæc conductio facta fuerit, num propriam sui suorūque sustentationem duntaxat intenderit? aut lucrum ex divenditis postmodum illis fructibus colligere voluerit?

Dices hac ratione decreta & Canones Sacros facillimè eludi posse, valor etenim aut nullitas ejusmodi contractuum pendebunt ex sola intentione conducentium Clericorum: isti autem semper intendunt sui & suorū sustentationem. **¶** Considerandum esse, num aliunde præsciendo ab ista conductione sufficientem sustentationem jam habeant, hæc enim si adfuerit, non videtur seria esse intentio conducentis alienos agros ad sui, suorūque sustentationem. Quod si autem sufficiens frumentum ad edendum uti & pa-

Bbbb 2

bu.

bulum ad nutriendos suos equos haberent, deessent autem iisdem ad vestitum, habitationem, potum &c. necessaria, videtur eisdem haud deneganda facultas conducendi alienos agros, ut fructus exinde collectos pretio corrente vendant, & comparato ex distractione ista pretio caetera ad aconomiam necessaria coemere valeant; nam etiam hac ratione, saltem ultimato intendunt propriam sustentationem.

**21** Non immerito autem quis dubitet, num haec conventio absolute pro vera, & non solum proficta, & colorata conductione, aut locatione habenda sit? frumentum enim ad conferendum agrum necessarium non videtur iusta merces conductioni agri, & adjuncto ipsius locantis agricolae labori, quem colendo agrum subire tenebatur, correspondens; nam etiam venditionem celebrasse non praesumimus, si pretium in merces expensum valore huius sit notabiliter minus, atque inferius. Si dicas, conductorem pro se retinere duntaxat tertiam partem fructuum, duas autem tertias relinquere locatori: contra est, quod illi fructus ut provenientes ex bonis locatoris jam antea ad ipsum spectaverint, ergo ratione totius locati agri non habet aliquid in bonis suis, nisi quantitatem frumenti ad conferendum agrum necessarium. reponi ad haec fors posset, cum de

tertia duntaxat parte fructuum conducenti obvenientium fuerit conventum, ideo non totum agrum, sed tertiam duntaxat huius partem Clerico aut Religioso aconomo locatam fuisse: tertiae autem huic parti nequaquam improporionatum esse frumentum ad seminandum agrum suppeditatum, si consideretur periculum, cui fruges terrae constanter sint subjectae, hinc cum casum hunc fortuitum in se susceperit conductor, consentiens in iacturam sui frumenti, licet nullos, aut paucos fructus ob iniquitatem temporum recepturus foret, de inaequalitate rei in conductionem expositae non videtur querela superesse.

Denique in hoc casu etiam potuit celebrari contractus societatis; agricola etenim contulit ad istam suum agrum, & laborem in colendo agro, Religiosus vero frumentum suum, & habitatione agri, & laborum ab agricolae faciendorum huic concedit duas tertias, sibi retinendo unicam: differet autem haec societas a mutuo, quod in hoc dominium frumenti translatum in agricolam fuisset, in societate autem mansisset penes Religiosum aconomum, utrum autem talis societas non oleat negotiationem Clericis atque Religiosis prohibitam, ex fine tali societati praefixo, colligendum erit,

CA: